


tum pone consimili forma, atq; à fronte ipsum perficiemus, ita tamen ut in late  
re, aut quā licebit commodissimē, aditum ita communiamus, cui non facile  
incommodari possit. Cæterum plura hac de re non ante præcipiam, quām ha-  
ctenus à me descriptum fundamentum, vñā cum quadrato, quod urbem versus  
spectat, lineamentis effinxero.



**D**escriptis vtcunq; valli fundamentis, proximum est ut definiamus, quæ muro crassities competit. Vrbanus itaq; murus quā, vallum cōtingit, pristinam suam latitudinem obtineat, ac si quidem infractus integerq; manebit, opera danda est, quoad eius poterit fieri, ut in aggeris strvendi siue munitionis vsum aliquem concedat. Cæterū in fundamen-  
to super d.e.linea, attolletur murus rectus, qui decem & octo pedes sui crassitie  
occupet. Secundo deinde loco. d.i.e.muri rotundi fundamentum prius, octode-  
cim item pedes crassum extruatur. Sumetur verò eam ad rem cōmodè perficiē-  
dam circinus, qui altero pede in k.puncto subsistente, altero ad d.e.lineam vsp  
circumducto muri crassitudinē dimetiendo effingat: ac interualla, quā vtrinq;  
lineam d.e. contigerit, n.o. characteribus inscribantur. Quibus rite confectis,  
d.n.& o.e.latitudines retrorsum ad l.m.vsq; lineam retrahātur, quibus in mu-  
ris transuersis crassities deprehendetur. Cæterū posterior l.m.murus transuersus  
ad decem pedes in latum patebit: super k.h.i.linea, itidem murus transuersus cōficiendus erit duodeuiginti pedibus crassus. Consimiliter & alii duo mu-  
ri rotundi secundum extimos extruentur, qui aptè ad medium illum mu-  
rum succedant, ita nimirum vt areolæ his interceptæ, paulatim arctiores ex-  
istant. Quæ quidem contractionis forma hac ferè methodo inuestigabitur:  
super h . g . crucis linea de sumenda est longitudo, inter medium murum d.e.  
& i . punctum intercepta : ac rotundi muro latitudo, numero super h . i . li-  
nea, ponèverò ad murum d . c . litera h . denotabitur . His iam ita pera-  
ctis,